



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

XLI. De obscœnis quæstionibus Casuistarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

CAPUT XLI.

De obscenis questionibus Casuistarum.

Ad spurcas & obscenas quaestiones discunt, & tractant, praesertim circa conjuges & sponfos, ut cogitationem omnem atque pudorem superent; easque ita definiunt, ut castas aures non parum offendant.

RESPONDETUR.

Theologi tribus potissimum de causis, haec obscena tractant; primo ut varias luxuriae & libidinis species distinguant, illarum enormitatem ostendant, ac poenarum, quibus Deus haec flagitia prosequitur, etiam in hac vita, horrore, ab hisdem flagitiis homines avertant; secundo ex S. Conciliis, Canonibus, libris poenitentialibus Graecis & Latinis excerpta in suas summas traduxerunt: Antonius, Augustinus multos collegit poenitenciales libros; item Marinus etiam Gallicanos praesertim Ecclesiae Andegavensis; Gracianus in fine decreti Canones Poenitenciales refert; eadem Burcardus pertractat, in i. s. autem Ecclesia diversas luxuriae species explicat, definitque poenitentiam singulis imponendam: Patres etiam in suis commentariis, hominibus & concionibus ad populum, aliisque tractatibus de hac eadem materia egerunt, ut paulo liberalius, quam singulari castitatis integritate floruerunt, hinc facilius illos refellas, qui Thomam Sanch. in suspitione impunitatis adducere voluerunt, quod paulo minus ea discusserit, quae castis mentibus pudorem suffundunt: hoc libere dicam, auctorem istum castitatis laudem in paucis eximium, huiusmodi quaestiones ad animorum salutem, absque periculo tractasse, quas forte nonnulli tunc attingere vix potuissent; quod sane praestitit, verbis adeo gravibus & feris, ut si qui haec lectione paulo inquinatus commoveretur, id eorum prave dispositioni & vitio tribuendum sit, potius quam auctori de Ecclesia & Confessariis bene merito, qui res illas modestè ac verecundè pertractavit, quas ex aliis repetere debuissent, a quorum plerisque si aplice & populariter exposita, animos vehementius afficiunt quam ea, quae Sanch. scripsit: accedit, quod iste auctor, nulli Theologorum in simili argumento secundus, suam summam ex 480. disputationibus circiter contexuit, ex quibus quatuor aut quinque ad summum peccata contra castitatem declarant, & harum major pars ad forum Ecclesiasticum pertinet, in quo de impedimento impotentiae iudicatur, & haec Confessarii facile omittere possunt: nemo igitur vitio vertat auctori doctissimo & religiosissimo, quod ex S. Canonibus, Patribus, utroque iure, antiquis & recentioribus doctoribus ea collegerit, quae conjuges & sponfos, confessarii, si quis qui de matrimonio validitate iudicant, omnino scire debeant.

Illud quoque Casuistas movit, ad agendum de peccatis, quae inter conjuges, aut sponfos incidunt, ut scilicet animos scrupulis & angoribus eximant, quibus interdum ab imprudentioribus implicantur, qui nihil ferè in matrimonio usu à culpa lethali, aut veniali liberant; quae si vera essent, multi sanè de salute desperarent, haec porro Casuistae non disputant, ut conjugibus habenas laxent ad voluptatem, canonum, eorumque contemptum, quae SS. Patres reliquere, ad reprimendos corruptae naturae seculentius effundentis impetus; sed ad errorem depellendum, quem nonnullorum imprudentia poenitentibus obicere posset, plausibili quodam praetextu quorundam canonum, quorum usus in Ecclesia obsolevit, & dictorum à SS. Patribus, qui res aliquando paulo amplius exaggerant, ut Christianos à voluptatibus detererent sic Tertullianus relatus, in c. 3. q. 4. 32. Abrahamum forni-

catorem appellat, quia secundas nuptias contraxit & Hieronymus adulterum illum vocat, qui uxorem suam flagrantius amat, can. 14. sic loquitur, liberos ergo, ut diximus, in matrimonio operari concessa sunt, volentes autem, quae de meretricum capuntur amplexibus, in morte damnata Greg. c. 4. moral. eos peccare contendit, qui matrimonio alia, quam suscipiendae prolis causa nuntur; Alii Patres severos etiam se praebent, ut conjuges à molliore & solutiore vita abducant, non sicut quod peccati lethalis, aut saepenumero venialis, gravior scilicet, noxa in his actionibus insit, quas fornicationes & adulteria vocant, aut in quas acriter inhuntur, sed ut terrore objecto, populos ab illicitis avertant, si quis autem praemissa loca ad rigorem litera interpretatus, dixerit, comperta uxoris graviditatem, usum matrimonii illicitum esse; feminam ad partum praeparatam inceptum peccare, si nupserit; usum matrimonii illicitum esse, etsi ad repellendam tentationem adhibeatur; item quadragesimali tempore & diebus Dominicis & festis; si quis, inquam, haec dixerit, contra Theologorum haec libere negantium torrentem se opponet, illius imprudentiam castigabit, validis rationibus impugnabit; quis enim nescit, canones illos consuetudine in contrarium recepta, hoc tempore antiquatos esse: haec igitur de causa, Casuistae huiusmodi quaestiones agitant, ut fideles ab operibus & cruciatibus animi liberarent; hortantur tamen, ut modestè & cum timore in his se gerant; & Pauli exemplo, Evangelica consilia sibi dem proponentes, non tamen imponentes; quis enim aliud iugum imponat, praeter illud, quod Christus imposuit.

CAPUT XLII.

De ornatu mulierum.

Docent mulierem, quae se ornat, eo tantum animo, ut innatae ad vanitatem propensionem satisfaciat, aut nullo modo, aut venialiter dumtaxat peccare; etsi mulier non ignoret, malum effectum manibus & corporibus inveniunt inde produci.

RESPONDETUR.

Curiosus vestium apparatus per se spectatus molus non est, sed à Philosophis & Theologis inter indifferentes numeratur, quia pro diverso animo & fine utentium, bonae, aut malae sunt: Judaea & Esther muliebri mundo ornantur se, cum grandi apud Deum merito suo; nec dubito, quin nobilissimi etiam nunc reperiantur, quae superbis splendidis vestibus majorem humilitatem & castitatem tegunt, quam aliae centonibus & sordido panno: iure igitur ajunt Casuistae, feminam, quae pro conditione suae aetatis, sese decenter vestiat, ornetque, non peccare, quando id unum appetit, ut concinnè vestiat, etiam concinnitate delectetur, secluso omni alio turpi fine, quippe delectatio illa indifferens est; ac proinde bene mali quique expers; si tamen praeter delectationem illam, ex ornatu illo & cultu, sese aliis praeferat & praefecti velit, in culpam superbiam incurrit, quae tamen, saltem in plurimum, minime lethalis est; quamquod si superbia periculum sit, in ejusmodi ornatu, solo veniali scilicet metu, christianae feminae ab illo abstinere debet.

At si femina, quae se superbius ornat, probe sciat, de pravis effectibus in spectantiu corporibus & rebus produci; nonnulli eas dumtaxat mulieres in similitudinem à peccato mortali liberant, quae se decentius ornant, ut maritis suis placeant; etsi praevideant, se occasione peccandi mortaliter alicui forte praebituras, qui in curiosius inspicendis immorabitur; divergia sunt in hac controversia Theologorum sententiae, cum scilicet agunt de scandalo, & peculiariter expenduntur.